97

(a) *Intellectus eſt omnia.*

PRotea mirantur veterum monumenta virorum,
Quòd formas poſſet ſumere multiplices.
Anguis erat, leo, taurus, aper, lapis, vndula, flamma,
Et iuvenis. Nihil hæc. Incipe Muſa mea;
Quantaq; ſit Mentis (memora) quàm mira poteſtas,
Ambiguum vt taceant ſæcula priſca Deum.
Huic maior, quàm quæ conceſſa licentia Proteo:
Multas ille, omnes induit hæc ſpecies.
Quicquid habet Tellus, ſpumoſaq; Tethyos vnda,
Quæcunque æthereum pingit imago Polum:
Quicquid erat Proteus, aut non erat; vnica Mens eſt,
Vnus Nūs. Illa, hæc, omnia. Muſa tace.

(b) *Anima humana à Deo infunditur.*

INſtillétne animam virtus operoſa parentis,
Fœcundumq; lutum teneros immittat in artus
Rectricem Mentem: an domibus delapſa ſupernis
Corporeæ moli tenuis ſe immiſceat aura,
Non modicis rixis certat ſchola tota Lycei.
Certat; ſed fruſtrà. Nam peccat opinio tradux.
Nimirum, fruſtum quoddam cœleſte, Ioviſq;
Progenies anima eſt, nec tanto indigna parente.
Imperat, antè videt, componit, dividit, optat,
Eligit, odit, amat, latitans exquirere verum
Geſtit, & immenſo rapitur fervore ſciendi;
Per cœli zonas, per opacæ viſcera terræ
Ambulat, effuſiq; maris ſcrutatur abyſſum;
Fretaq; perpetuo vernantis flore iuventæ
Corrumpi neſcit, neſcit ſuccumbere morti.
Hanc ſanus quiſquam virtutem inducere credit
Maternum limum, & fœcem potuiſſe paternam?
Si catulus catulum, generetq; columba columbã,
Quercus producat quercum, procerior ilex
Ilicem; at humanæ mentis ſublimior ortus.
Iuppiter hanc cœlo vacuas demittit in ædes,
Vt commiſta rudem faciat viviſcere glebam.
Et regat hoſpitium, & cordis dominetur in aula.
Nec temerè hæc iacto. Mens arguit ipſa, fidemq;
Conciliat dictis. Quanto conamine pugnat
Carcere terreno ſolvi? deponere pondus
Hærentis maſſæ? Quanto ferveſcit amore
Sidereæ [illegible]vt cœlo ſociata quieſcat?
Non aliter, quàm qui peregrinis exul in oris
Ardet gentiles auras haurire, penates
Viſere gentiles, & patria culta tueri.

Ergo

Non animas animæ pariunt, nec traduce carnis
Transfundit mentem genitor; ſed Summa Poteſtas
Humanos implet divinis flatibus artus.

This is a

97

(a) *Intellectus eſt omnia.*

PRotea mirantur veterum monumenta virorum,
Quòd formas poſſet ſumere multiplices.
Anguis erat, leo, taurus, aper, lapis, vndula, flamma,
Et iuvenis. Nihil hæc. Incipe Muſa mea;
Quantaq; ſit Mentis (memora) quàm mira poteſtas,
Ambiguum vt taceant ſæcula priſca Deum.
Huic maior, quàm quæ conceſſa licentia Proteo:
Multas ille, omnes induit hæc ſpecies.
Quicquid habet Tellus, ſpumoſaq; Tethyos vnda,
Quæcunque æthereum pingit imago Polum:
Quicquid erat Proteus, aut non erat; vnica Mens eſt,
Vnus Nūs. Illa, hæc, omnia. Muſa tace.

(b) *Anima humana à Deo infunditur.*

INſtillétne animam virtus operoſa parentis,
Fœcundumq; lutum teneros immittat in artus
Rectricem Mentem: an domibus delapſa ſupernis
Corporeæ moli tenuis ſe immiſceat aura,
Non modicis rixis certat ſchola tota Lycei.
Certat; ſed fruſtrà. Nam peccat opinio tradux.
Nimirum, fruſtum quoddam cœleſte, Ioviſq;
Progenies anima eſt, nec tanto indigna parente.
Imperat, antè videt, componit, dividit, optat,
Eligit, odit, amat, latitans exquirere verum
Geſtit, & immenſo rapitur fervore ſciendi;
Per cœli zonas, per opacæ viſcera terræ
Ambulat, effuſiq; maris ſcrutatur abyſſum;
Fretaq; perpetuo vernantis flore iuventæ
Corrumpi neſcit, neſcit ſuccumbere morti.
Hanc ſanus quiſquam virtutem inducere credit
Maternum limum, & fœcem potuiſſe paternam?
Si catulus catulum, generetq; columba columbã,
Quercus producat quercum, procerior ilex
Ilicem; at humanæ mentis ſublimior ortus.
Iuppiter hanc cœlo vacuas demittit in ædes,
Vt commiſta rudem faciat viviſcere glebam.
Et regat hoſpitium, & cordis dominetur in aula.
Nec temerè hæc iacto. Mens arguit ipſa, fidemq;
Conciliat dictis. Quanto conamine pugnat
Carcere terreno ſolvi? deponere pondus
Hærentis maſſæ? Quanto ferveſcit amore
Sidereæ [illegible]vt cœlo ſociata quieſcat?
Non aliter, quàm qui peregrinis exul in oris
Ardet gentiles auras haurire, penates
Viſere gentiles, & patria culta tueri.

Ergo

Non animas animæ pariunt, nec traduce carnis
Transfundit mentem genitor; ſed Summa Poteſtas
Humanos implet divinis flatibus artus.

This is a

(c) *Malus Imperij custos Metus.*

QVâ ſol Arctoum refugit,devexior,orbem,
Surgentiq́ue Polo cedit (ſic fata reflabant.)
Appuleram flavus Tanain vbi ſarmata potat.
Frigida vix primâ libabam littora planta,
Communes ratus eſſe Deos,cum Tartara ſævo
In me turba ruit fremitu, gladiiſq́ue minata,
Opprimit & magni rapit ad pallatia Regis.
Vt primum,ceſſante metu,data copia fandi,
Qui mos?quæ patria? aut quæ gens,tã barbara, dixi,
Communi errantem prohibet conſiſtere arena?
His,qui militiæ præerat ſub rege rapaci,
Reſpondet: Famâ melius,vel voce,fuiſſet,
Quam re comperta,Trauſorum noſcere regnum.
Fertur ab antiquo Saturni ſemine dicta,
Quæ lavat,& loto nomen dat, Moſchua, Moſcho.
Hic caput Imperii, tectumq́ue immane Tyranni
Aſſurgit, muriſq́ue,& denſa rupe minatur.
Huc belli robur conceſſit, & vndiq́ue totę
Coguntur regionis opes. Non propria quiſquam
Poſſidet,aut ſummo quæ ſint immunia fiſco.
Libera nobilitas nulla eſt: ſerva omnia Regi
Cernis; & agricolas,ſed non ſua rura colentes.
Cuncta Tyrannus habet,nec habet ſat cuncta tenere.
Hoſpitibus ſtruit inſidias: hiſte tua captum
Fata ſinunt, ſeviq́ue trahunt ad Iudicis ora:
Is Metus eſt,cunctoſq́ue timens,cunctiſq́; timendus.
Interea ad trepidi pervenimus ampla Tyranni
Atria,quæ denſis horrebant confita pilis.
Me viſo,haud aciem fremitu leviore capeſſunt,
Signaq́ue corripiunt,quam fiſuribundus Achilles,
Annibal aut,portis inopinus adeſſet apertis.
Pars Regi quæ viſa refert: pars omnia demit
Inſtrumenta mali capto: ſcrutantur &, herba
Ne qua loquendum inter lateat nocitura,palatum.
Quid plura? ad regem rapior prope nudus; at illum
Accinctum offendi gladio, & talaribus armis.
Vix animi tranquillus adhuc,tremit ipſe tremendus:
Dextra enſem,clypeum porrecto vmbone ſiniſtra
Protendit: deln pauca,pavens,recidivaq́ue fatur:
Dic,age,quo noſtris auſus ſuccedere regnis
Conſilio? quis te ſpeculatum huc miſit? & vnde
Inſidias ſtructurus ades? Præfatus honorem,
Non mea me veſtris,dixi,fraus appulit oris
Sed pelagi fortuna dedit; dum,navibus orbe
Luſtrato,patriam repeto,dulceſq́ue penates.
Hos mihi conſervat, muro quam cingit aquarum
Nereus,& toto potiorem dividit orbi,
Inſula: cui longum dominatur fœmina (mirum!)
Verum hoſtes novere Deam,poſtquam inclita tantis
Geryonem extinxit ſuperatum *Aſtræa* triumphis.
Protinus,accepto tam forti numine, quærit
Quâ fugiat,latebraſq́; , tremens,ſeſe abdit in omnes.
Cætera nec viſus,tantum,hunc dimittite,dixit.
Atq; ipſe, ad navem adductus, cetumq́; meorum,
Littora deſerui crudelia,& vſque Britannos
Remige ſectabar,qua proxima ſemita,clivos.
Tum patriam,& niveas cernens in littore rupes,

Ergo ô fælices, dixi,bona ſi ſua norint,
Quos vt Amore regas,rediiſti *Aſtræa*,Britannos!

(d) *Ingeniorum peſtis novitas.*

ECquid,amice,novi garrit bene nota cicadâ?
Dic,age(ſi quis amor) quid nunc intẽtat Iberus?
Quid domui Auſtriacæ nova vis Germana minatur?
Quid parat in Belgas, quem cum diademate mitrã
Commutaſſe ferunt,Auguſta è ſtirpe ſacerdos?
Vtve ſonat,pridem lyra diſſona,gentis Hybernæ?
Ergo vtinam,*μόναυλε*,tibi foret auris vbiq́ue:
Cui vaga mens totum latè ſimul occupat orbem.
Aſt,ego ſi memorem ſeclo quæ geſta priore,
Et monumenta petam bis ſeni Cæſaris; Euge,
Mî,Nugator,ait,tam longi oblivia ſecli?
Iſta tot annorum confecta rubigine narras?
Putridaq́; exponis tot humata cadavera rerum?
Dic nova,quæ neſcit vulgus,nec charta loquatur:
Mitte,oculi quæ mille ſciunt, mille ora loquuntur?
Accede ad mores,& docti temporis artes:
Sit vetus,an nova ſit, nimium miraberis ætas.
Quære tibi ignotas,Enni de ſtercore gemmas:
Lucili exquire,aut Varronis fragmina; ſolus
Tu ſapis,& calles aliquid,quod docta vetuſtas.
Cui non lingua fluit communi idiomate Tulli
Sponte ſua? ſcioli tantum hæc vulgata ſequantur.
Barbara ſimplicitas nimis eſt ridenda parentum;
Sive gulam ſpectes,ſeu tergora: cuncta carebant
Delectu,& pretio,quo nos vtroque beati.
More ſalutantes Italo, veſtimur Ibero,
Germano bibimus,novaq́ue inſuper addimus iſtis.
Magnus huic ævo Stagiræ inſanit alumnus:
Sunt qui plura vident.
Gratulor hæc ego,per Muſas,tibi,doctior ætas,
Et mihi,tam claro naſci cui contigit ævo.
Scilicet hæc ars eſt; veſtigia devia vitas:
Audaciq́ue premis nova calce,adverſa priori.
Perge,age,quo Genius,quo te tua ſemita ducit.
Definis in veteres(ſic te via ducit Javorum
Inſcius errores; quæ tu nova dogmata iactas.
Iam,niſi deſipias,ſæpe poſthac more parentum:
Et nova quæ iam ſunt,ea diſce fuiſſe vetuſta:
Nil vetus eſſe,novum nihil.
Inde fatebere mecum
Corrumpi ingenium ſtudio novitatis inani.

a double sheet